

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

University of Toronto

Level One Medieval Latin Examination

11 April 2022

Translate **ALL FOUR** passages. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. You are able to print the exam if you wish to have a hard copy, but your translation must be entered online.

You have three hours to complete the examination.

1. Let my people go! (Ex. 9.1–9)

Dixit autem Dominus ad Mosen: ingredere ad Pharaonem et loquere ad eum: haec dicit Dominus Deus Hebraeorum: dimitte populum meum ut sacrificet mihi.

Quod si adhuc renuis et retines eos, ecce manus mea erit super agros tuos, et super equos et asinos et camelos et boves et oves pestis valde gravis.

Et faciet Dominus mirabile inter possessiones Israhel et possessiones Aegyptiorum, ut nihil omnino pereat ex eis quae pertinent ad filios Israhel.

Constituitque Dominus tempus, dicens: cras faciet Dominus verbum istud in terra.

Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die: mortuaque sunt omnia animantia Aegyptiorum; de animalibus vero filiorum Israhel, nihil omnino perire.

Et misit Pharao ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his quae possidebat Israhel.

Ingravatumque est cor Pharaonis, et non dimisit populum.

Et dixit Dominus ad Mosen et Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, et spargat illud Moses in caelum coram Pharaeo.

Sitque pulvis super omnem terram Aegypti: erunt enim in hominibus et iumentis vulnera, et vesicae turgentes in universa terra Aegypti.

2. A traveller's tale from the fourth century: take me to the fount

Tunc ergo, quia retinebam scriptum esse baptizasse sanctum Iohannem in Enon iuxta Salim, requisivi de eo, quam longe esset ipse locus. Tunc ait ille sanctus presbyter: "Ecce hic est in ducentis passibus. Nam si vis, ecce modo pedibus duco vos ibi. Nam haec aqua tam grandis et tam pura, quam videtis in isto vico, de ipso fonte venit". Tunc ergo gratias ei agere coepi et rogare ut duceret nos ad locum, sicut et factum est. Statim ergo coepimus ire cum eo pedibus totum per vallem amenissimam, donec perveniremus usque ad hortum pomarium valde amenum, ubi ostendit nobis in medio fontem aquae optime satis et pure, qui semel integrum fluvium dimittebat. Habebat autem ante se ipse fons quasi lacum, ubi parebat fuisse operatum sanctum Iohannem Baptistam. Tunc dixit nobis ipse sanctus presbyter: "In hodie hic hortus aliter non appellatur greco sermone nisi *cepos tu agiu Iohanni*,¹ id est quod vos dicitis Latine hortus sancti Iohannis".

3. Bad monks must be banished from being at meals with their brothers

De excommunicatione culparum.

Si quis frater contumax aut inoboediens aut superbus aut murmurans vel in aliquo contrarius existens sanctae regulae et praeceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit, hic secundum domini nostri praeceptum ammoneatur semel et secundo secrete a senioribus suis. Si non emendaverit, obiurgetur publice coram omnibus. Si vero neque sic correxit, si intelligit qualis poena sit, excommunicationi subiaceat. Sin autem improbus est, vindictae corporali subdatur.

Qualis debet modus excommunicationis.

Secundum modum culpare et excommunicationis vel disciplinae mensura debet extendi. Qui culparum modus in abbatis pendet iudicio. Si quis tamen frater in levioribus culpis invenitur, a mensae participatione privetur. Privati autem a mensae consortio ista erit ratio, ut in oratorio psalmum aut antiphonam non imponat neque lectionem recitet usque ad satisfactionem. Refectionem autem cibi post fratrum refectionem solus accipiat, ut, si verbi gratia fratres

¹ You are not required to translate these words, which are Greek and mean "garden of the holy John".

reficiunt sexta hora, ille frater nona; si fratres nona, ille vespera, usque dum satisfactione congrua
veniam consequatur.

4. He who inherits land has to do vengeance and pay wergeld

Hereditatem defuncti filius non filia suscipiat. Si filium non habuit qui defunctus est, ad filiam pecunia et mancipia. Terra vero ad proximum paternae generationis consanguineum pertineat. Si autem nec filiam non habuit, soror eius pecuniam et mancipia. Terram proximus paternae generationis accipiat. Si autem nec filium nec filiam neque sororem habuit, sed matrem tantum superstitem reliquit, quod filia vel soror debuerunt, mater suscipiat, id est pecuniam et mancipia. Quodsi nec filium nec filiam nec sororem aut matrem dimisit superstites, proximus, qui fuerit paternae generationis, heres ex toto succedat, tam in pecunia atque in mancipientibus quam in terra. Ad quemcumque hereditas terrae pervenerit ad illum vestis bellica, id est lorica, et ultio proximi et solutio leudis debet pertinere. Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittat, filiae vero spolia colli [...] id est quicquid ornamenti proprii videbatur habuisse. Si nec filium nec filiam habuerit, sororem vero habuerit, sorori pecuniam et mancipia, proximo vero paterni generis terram relinquat.